19

DE BEATO PHILIPPO NERIO FLORENTINO

Congregationis Oratorij
fundatore

Iosephi Castalionis I. V. D. Romani
C A R M E N.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

R O M AE,
Apud Aloysium Zannettum. M D C X V I.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

IN EMBLEMA BEATI PATRIS nostri Philippi Nerij Congregationis Oratorij fundatoris, qui migrauit ad Dominum anno salutis MDXCV. Octano Kalendas Iunias, post horam noctis sextam, annos natus LXXX.

Iambi trimetri Iosephi Castalionis.

SIBI velint quid signa, quaeris, mystica,
Cor igne flagrans, stella, candor lilij.
Pietas beati, viuida & virtus Patris,
Et castitas per haec notantur symbola.

Digitized by Google

DE BEATO PHILIPPO NERIO

AD AVGVSTIN. CVSANVM CARDINALEM.

Iosephus Castalio I. V. D. Romanus.

TERRARVM Cusane Pater nitidissima lampas,
Spiritus in caelum NERII reuolasse PHILIPPI
Creditur, & solium propius consistere ad altum
Numinis aeterni, ac longum sperata tueri
Ora Dei. nec vana fides. nam pectore toto
Sidereum primis caelum concepit ab annis,
Delicijsq. aeui spretis fugientis, in vnum
Sollicito Christum conuertit lumina corde.
Non illum illecebris pellexit blanda voluptas
Praecipitis rapido calidum feruore iuuentae,
Caeca nec ambitio, nec opum vesana libido
Inconcussa viri perstrinxit pectora sancti.
Sed labor, obscurumq. humili sub culmine limen,
Paupertasq. bonis diues caelestibus illi
Grata fuit, peperitq. aeternae gaudia vitae,
Perpetuaeq. sacer lateris per munera casti
Virginitatis honos summum patefecit Olympum.
Nocte vigil precibus supplex in vota vocabat
Caelicolas, Matremq. Dei, summúmq. Tonantem.
Aspexit medium quoties discedere Olympum,
Angelicosq. auidis concentus auribus hausit,

Digitized by Google

Pectore dum tacito diuinos versat honores?
Libatis hinc luce sacris auertere laesi
Numinis a populo non vmquam desijt iram.
Instituit socios doctrina & moribus aeque
Insignes, certo errantem qui tramite plebem
Ad superas possent secum perducere sedes.
Extiterat, Cusane, tui vix ordinis vllus,
Cui bene non fuerit pietas perspecta Philippi:
Nec solio quisquam Petri consedit in alto
Temporibus nostris, Nerio qui iura fidelis
Non commendarit populi, Romanaq. regna.
Ne delicta Deus poenis humana cruentis
Vlciscens, daret exitio populumq. Patresque,
Quam multis sacra morbos prece depulit aegris?
Quam multos summo eripuit discrimine lethi,
Tunc quoque cum terris vestigia poneret imis?
Veridico in primis praestans Baronius ore
Testis ab immiti subductus funere quondam,
Depositum qui se memorat vidisse, Philippum
Talibus orantem versis ad sidera palmis:
Ne meus e terrae Caesar citus auolet oris,
Sed populos regat errantes linguaq. styloque,
Tuteturq. decus tibi Relligionis auitae,
Christe opifex rerum: per te mihi Regia Mater
Reddatur Caesar. Dicenti talia Virgo
Annuit, aethereo late splendore coruscans.
Haec eadem Christi genitrix ingentibus aegro
Torminibus rapida vires in morte Philippo
Rettulit exhaustas, & morbum depulit omnem
Ilicet. Angelico libratum flamine corpus
Vidisses super ipsa tori velamina ferri,
Non secus ac tellus nullo fulcimine nixa
Aere subiecto pendet, vel in aere clauso
Suspensus globus apparet, commenta magistri
Trinacrij. Sic ille torum, sic corpore nusquam
Presserat, Angelico fultus spiramine membra.
Haec

Haec vidit cultu dignus Gallonius omni,
Haec multi videre viri, quos diligit aether.
Accurrens tibi deflectum Cusane Philippum
Diuino incolumem spectasti munere laetus.
Testis & ipse tuus, tibi quem mens candida iunxit,
Linguaq. caelestis pandens oracula Regis,
Massa graui implicitus nulla sanabilis arte
Vi morbi, precibus NERII seruatus in vsus
Illustris Cusane tuos, Apicisque Latini.
Felices, quibus assidue sermonibus vti
Contigit illius. Medices, quem Gallica regna
Optimus ingenti comitum petere agmine Clemens
Iussit, & Henricum magnis de rebus adire
Romanae Regem reuerentem culmina Sedis,
Colloquiis longas protraxit saepius horas
Cum NERIO, senis admirans exempla beati.
Ac Borromacus luces componere totas
Aedibus in NERII solitus, dum moenia Romae
Incoleret, mores Patris, vitamq. notauit
Suspiciens, tacitoq. abscondit pectore dicta.
Nunc late sanctis Insubrum corrigit Vrbem
Legibus ingentem, atque oculos ad sidera tollens
Caelitis implorat studiumq. fidemq. PHILIPPI.
Te quoque conspicuum summis instruxit alumnum
Praeceptis Cusane diu, quibus aurea possint
Astra peti, veriq. boni pretiosa teneri
Munera, fucatae pulsa spe laudis inani.
Hinc tibi feruenti caelum pietate recludis,
Siue Deum sacris placas, seu casibus angi
Aduersis homines valde indignaris, & vltro
Auxilio releuas iniusto pondere pressos.
Ille polo notae demittens lumina terrae
Innumeros damnat votis, Vrbemq. patronus
Principe cum sancto Romam Clemente tuetur,
Atque tui magno laetatur pignore amoris.

FINIS.

Digitized by Google

DE
BEATO PHILIPPO
NERIO
AD M. ANTONIVM
MAFFAM
IOSEPHVS CASTALIO I. V. D.

MAFFA recensenti caelestis facta PHILIPPI
Tanta mihi se congeries tulit obuia rerum,
Mentis vt Aoniae subito, quaecumque fuisset,
Aruerit vena, & clauso vox haeserit ore.
Iam nec carminibus complecti talia quemquam
Posse reor, quis enim digne narrauerit vmquam,
Gurgite quot scelerum mersos, tristiq. gehennae
Addictos, vitae infuso melioris amore,
Miserit ad superas praecepta per ardua sedes?
Promptius exterso fulgentia sidera caelo,
Et nemorum folia, & siccas numerabis arenas,
Nec minor illorum lustrabitur agminis ordo,
Quos castris Benedicte tuis suffecerat, & quos
Compulerat Francisce tuos supplere maniplos.
Numquid inoffensae memorem longissima vitae
Tempora, susceptumq. tuis Florentia cunis,
Romuleaeq. diu spectatum moenibus Vrbis?
Possem idem fluctus Euris certantibus actos,
Squammigerumq. pecus liquidis cōprendere cāpis.
Vix tercenteni caperent miranda libelli,
Siue graui pulsos morbo, atque e limine lethi
Subductos

Google

Subductos referas, seu caeca errata sodalis
Nota viro, alteriusve animi explorata reposti
Consilia, & quaedam multos praeuisa per annos,
Quae euenisse olim longo post tempore constat.
Quis memoret laetas quoties permulserit aures
Angelico in terris modulamine, humoq. precando
Sustulerit quoties sese per inane, Deumque
Mente aditum, & caeli propius spectarit honores?
Necnon ambrosia vires & nectare vero
Vt prope contemptis alijs tolerauerit escis?
Vtq. viri imperium magni, virtute fugatus
Vndique diuina, horruerit taeterrima Daemon
Bellua, cum socijs atri legionibus Orci?
Ingens surget opus, studium cui tollere alumnos
Laudibus in caelum claros. Taurusius vndas
Ad Rhodani, eloquij dum torquet fulmina sacri
Antistes, populosq. pijs ad sidera vertit
Moribus, atque viam factis sibi munit Olympo,
Purpureum tulit a magno Clemente galerum.
Te quoque, cui scriptis totum monumenta per orbe
Grandia mansuris exstruxit gloria pernix,
Relligioq. decus benegesta rependit honorum,
Inclyte Baroni, Clementis prouida virtus
Sublimem sacro spectari iussit in ostro.
Nec procul a Rhodano diuinis instruit agros
Legibus, atque vrbis commissae tractat habenas,
Praesulis egregij Bordinus laude coruscans.
Non pietas, non prisca fides, non gratia linguae
Optima destituit celebris praeconia Silui,
Quem sacra suspiciunt Clementis tecta Magistrum.
Et rem Romanam tutatus Bozius acri
Ingenio, libris claret. palmasque perennes
Sanctorum felix calamo Gallonius vrget.
Vt sileam reliquos, esset quos longa referre
Nunc mora, & ingentes animi lectissime dotes
Massa tui, quibus ad summae fastigia laudis
Pandis

Pandis iter, caelique tibi penetrale recludis.
Lumina tot peperit terris, & tanta PHILIPPVS,
Ac celebri insignem posuit statione Cohortem,
Quae pro Christicolum, noctesq. diesq. salute
Excubat, ille stylo pugnas, hic ore capessit
Aduersus scelera intrepide, foedosq. rebelles.
Suppliciter cuncti caelestia numina poscunt,
Conciliantq. Deum populo precibusq. sacrisque.
Quin & Parthenopen veneranda misit ab Vrbe
Conspicuas eloquio, puroq. examina corde,
Felix prole parens, & tanti pignoris auctor.
Nunc sperata tenet Christi stellantia regna,
Vnde laborantes audit ter rite vocatus.
Testatur tumulo id pendens votiua tabella.
Exanimum terrae mandarant corpus alumni
Solliciti egestae, factum sententia sacri
Improbat hoc Medicis, parioq. e marmore censet
Aedis in illustri componi parte sepulchrum.
Eruitur, plumbo inclusum, laeuiq. cupresso
Sistitur in praesens tempus sub fornice templi.
Supplicibus lacrimis aditam clarissimus arcam
Cusanus texto signis, auroq. rigente
Contegit, atque sito pignus persoluit amoris,
In dilecta Deo pietatis corpora notus.
Saepe Pater Clemes memori sermone PHILIPPVM
Inuocat, articulos seu torquet dira chiragra,
Seu graue quid mentem curis ingentibus aegram
Afficit, inde malis persentit adesse leuamen.
Magne senex, caeli quem nuper in astra receptum
Credimus, eripias, oro, me fluctibus atris,
Rebus & ingenium tantis haud prorsus ineptum
Impartire mihi, quo de te scribere possim,
Et veniam culpae exora, sedesq. beatum.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google